



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Qvatenus præcipuam termini proprietatem, videlicet
suppositionem alij Authores explicent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

idque sapissimè, vt liquet exemplis quibus vsi sumus; tum etiam aliquando in eis adiectiue sumptis: nam species, & differentia. v.g. dicuntur, non duo modò prædicabilia, sed etiam duæ prædicabiles; aliaque prout prædicabilis cenetur distincta ab alia, & talis vsurpatur; Neque non Petrus. v. g. diuersas cognitiones terminans hoc ipso dicitur multifariam cognitum, scilicet clarè, & obscurè, intuitiue, & abstractiue, per sensum & intellectum: illa autem vocula *multifariam*, non appellat supra Petrum secundum se, sed supra cognitum adiectiue sumptum: huiusmodi ergo concretum ob solius multiplicitem formæ multiplicatur, sin minus nominaliter, at certe aduerbialiter. Quod attinet ad concreta substantia, tum creati, tum etiam increati, & Diuini ordinis, quo pacto ea multiplicentur re ipsa, declaratum est à nobis supra ad initium huius capituli. Quod verò spectat ad modum loquendi de eorum multiplicitate, ex Theologicis principiis valde dependet ideoque hic à nobis præmittitur.



TRACTATVS IV.

De proprietatibus veritatis simplicis, siue termini.

CAPVT I.

Quatenus præcipuam termini proprietatem, videlicet suppositionem, alij auctores explicent?

1 ppositio significat primò positionem vnius rei pro alia, qua ratione puerum suppositum dicimus: secundo hypothesim, seu questionem finitam liti suppositam. vt subie tam: tertio propositionem aliquam, quam certam, ac ratam volumus eo fine, vt ad eam ad aliam gradum faciamus; veluti si quis arguat ita: supponam, s virtutem esse laudandam: tunc sic; sed Prudentia est virtus, ergo laudanda: quod si prima illa propositio non admittatur dicitur de subiecto non supponente, videlicet ea, de cuius subiecto falso prædicatum supponitur, aut certò affirmatur, de quo bene Hurtado disputat. 1. summ. sect. 2. & alij. Quartò, & propius nostro instituto significat suppositio affectionem quandam termini.

2 Quam definit Villalpandus lib. 1. cap. 1. esse *terminum existere in propositione, & esse rem quam significat tempore importato per copulam.* Impugnatur tamen hæc suppositionis definitio; quoniam suppositio est proprietas termini, vt cum ipso reliqui omnes supponimus; at esse rem quam significat tempore importato per copulam, non est proprietas termini: ergo &c. Minor hæc suadetur; est formalissime veritas complexa, sed veritas huiusmodi, sicut & falsitas ei opposita est affectio huiusmodi, & in solo termino minime reperibilis, vt certo certius. Vltèrius, in propositione falsa termini supponunt; at terminis propositionis falsæ, quatenus supponunt, earumque suppositioni adducta definitio non competit; ergo est vitiosa. Maior probatur: nam in hac propositione, Deus non est trinus, Deus sup-

ponit pro vero Deo, ideo enim propositio falsa est aliàs vera existitura: nam si Deus ita non supponat, sed sine vlla suppositione formali spectetur, sanè propositio verissima erit; siquidem vox Deus, trina non est, cum nec tribus litteris, nec tribus etiam syllabis constet. Idem liquet in hac propositione falsa, equa non est similior homini, quam aqua; aut in hac homo est similior equo quam hamo, aliisque similibus, quarum subiecta, si non supponant formaliter pro rebus, sed in solis vocibus sistatur, erunt euidenter veræ. Denique quia cum suppositione termini significationem rei à se distinctæ coniunctam ab eaque inseparabilem adstruit ea definitio, cum tamen termini alterius non significatiui quodam modo supponant, videlicet materialiter, vt constabit inferius.

Secundò suppositionem definiuit Sotus 2. part. introduct. cap. lect. & not. 1. acceptionem termini pro aliquo respondente illi, secundum eandem acceptionem. Displicet etiam hæc definitio: tum quia obscuratum quia nugax; obscura quidem, quia nescias, quid nomine acceptionis accipiat, substitutionem, an significationem? & alij aliter eum accipiunt: nugax quidè, quia æquiualeat huic, suppositio significat eandem rem, quæ significatur per illam; aut certè huic, est substitutio rei pro re, pro qua substituitur. Tertio eam definit Cardin. Tolet. lib. 2. cap. 1. vsum termini pro se, vel pro suo significato. Verum haud magis placet, quoniam suppositionem in communi per species, videlicet materialem, quæ est vsus termini pro se, & formalem quæ est eius vsus pro alia significato, definit: non secus, ac si quis animal definiret, viuens, rationale, vel irrationale.

Quartò, nonnulli recentiores in quouis termino distinguunt duplicem significationem; aliam actu primo talem, qua in alienius cognitionem ducere potest: aliam actu secundo eiusmodi, quæ nimirum de facto ducit: & suppositionem cum hac posteriori significatione eandem prorsus, à priori verò distinctam, existimant. Cæterum tribus argumentis confutari possunt: primum est, quia termini extra propositionem verè significant etiam actu secundo; audita enim hæc voce, *homo*, in veri hominis notitiam illico rapimur: at non supponunt extra propositionem, vt ipsi cum plerisque in confesso habent; significatio igitur actu secundo talis, & suppositio neutiquam sunt eiusdem rationis atque naturæ; aliàs termini ex æquo intra, & extra propositionem supponerent, & significarent. Aliud aduersus eosdem auctores argumentum sic habet: hæc in propositione, *canis currit*, canis pro solo terrestri supponit: nam si pro maritimo, aut cælesti supponeret, haud esset vera sed falsa propositio; cum maritimus, & cælestis non currant, sed alter natet, alter luceat: sed canis in hac propositione significat actu secundo, non solum canem terrestrem, verum etiam maritimum, & sydereum, siquidem in eorum etiam notitiam ducimur: cuius signum est, quod audita propositione illa statim eam distinguimus, & de cane terrestri eam fatemur, de sydere vero ac pisce negamus. Tertium argumentum contra hos neotericos est eiusmodi: quiuus terminus in quauis propositione significat actu secundo seipsum, aliàs nihil à se distinctum ita significaturus: at non in quauis propositione quiuus terminus pro se, seu materialiter supponit: id enim esset suppositionem formalem de medio tollere; haud igitur recurrunt suppositio, & significatio proxima, atque actualis.

Demum Hurtadus disp. 2. sum. sect. 1. §. 6. suppositionem definit, substitutionem signi sensibilis loco

conceptus mentalis, ad constituendam propositionem circa significatum termini mentalis. Impugnatur etiam: tum quia definitio definitum ingreditur; cum suppositio, ac substitutio sint voces synonymae: deinde, quia redundat ea particula, ad constituendam propositionem, cum iam dictum sit, loco conceptus mentalis, qui suapte natura ad propositionem instar partis refertur: tertio, quia particula etiam illa, circa significatum conceptus mentalis, eadem ratione superfluit: quarto, quoniam falso supponit terminum supponi pro solo conceptu mentali, & non eius obiecto, vt cap. sequenti constabit: tandem, quia suppositionem actuum mentalium, & insensibilium per voculam illam complexam *signi sensibilis*, nullo iure eliminat, vt inferius planum faciam.

CAPVT II.

Verior suppositionis definitio.

6 **I**psa suppositionem verius, nisi fallor, & magis ex illius natura, & inter authores vsu, sic definio: *Est positio vnius significati pro alio vi copula enuntiativa termino annexa. Positio est genus, quo conuenit cum propositione, praepositione, & postpositione, quibus plura aut simul, aut cum successione quadam & ordine prioris, vel posterioris ponuntur. Quod subsequitur est differentia, cuius prior particula, nempe, vnius significati pro alio suppositionem facit à supradictis differre: necnon etiam à prolatione termini extra propositionem: ea enim est positio quædam termini pro suo significato, siue sit vnum siue plura, non tamen positio vnius significati pro alio: prolata siquidem hac voce, canis, aliave simili, nec vnum eius significatum potius quam aliud significatur per se loquendo, nec etiam affirmatur, aut negatur vnum potius quam aliud. Per eam particulam, vi copula enuntiativa termino annexa, suppositio differt à restrictione: nam cum dicitur, canis celestis, significatio canis determinatur ad sydus, & hoc præ ceteris significatis sub ea voce ponitur; siquidem per eam non piscis, aut quadrupes celestis significatur; alias compositio illa apprehensiva exterior suo modo esse falsa: nihilominus ibi, canis, ratione vocalæ appositæ pro celesti non supponit, sed potius restringitur ad celestem: quoniam videlicet ea appositio, & ex ea resultans positio vnius significati pro alio, neutiquam fit vi alicuius copulæ enuntiativa: porro restrictionem à suppositione propriè sumpta differre, & non hanc, sed illam resultare ex adducta complexione duorum terminorum, canis scilicet & celestis, aliave quauis, constans est dialecticorum opinio. Quo autem nostra definitio clarior, & luculentior sit, en eam alijs verbis: suppositio est, qua terminus ita afficitur à copula enuntiativa sibi annexa, vt vnum eius significatum potius quam aliud sit subiectum, vel prædicatum in propositione: aut quod in idem recurrit, est qua terminus vi copulæ determinatur, vt vnum significatum illius præ alio vicem subiecti, aut prædicati subeat.*

7 Obiicies tamen primò, aduersus traditam definitionem: terminus duntaxat vnum significans, cuiusmodi est homo, v.g. supponit: & tamen vi illius vnum significatum pro alio poni nequit, cum vno, & alio prorsus careat. Respondeo: omnis terminus, aut significat plura ex instituto, vt canis triplicem illam differentiam canum toties repetitam; aut vnum naturaliter, & aliud ex instituto, vt homo vocem, & rem vocatam, omnes scilicet homines, aut plura na-

turaliter, vt blitiri seipsum, & conceptum qui ei respondet, aut etiam reliqua blitiri sibi similia, iuxta inferius lib. 6. dicenda. Quam solutionem egregiè confirmat Chrysippus cuius, vt refert Aulus, Gellius lib. 11. noctium atticarum cap. 12. sententia fuit, omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo, vel plura accipi possunt. Huc etiam faciunt Ascensij verba super eundem Gellij locum: certum est, omne nomen significans rem, qua pingi potest, æquiuocum esse ad rem veram, & picturam: præterea de mentali, aut vocali termino posse loquentem intelligere se loqui. Hæc ille. Neque præter Diodorum cognomento Cronum, cuius meminit Gellius supra, qui contrarium sentiat, vllum comperio. Inò hunc etiam interpretari conatur Ascensius loco citato.

8 Obiicies secundo; suppositio est affectio termini: at iuxta nostram definitionem non tam esset affectio termini, quam significati per terminum, cum non tam terminus ponatur pro suo significato, vi suppositionis, quam vnum significatum pro alio. Respondeo; suppositio termini passiuè sumi non debet, vt obiectio contendit; alias terminus non tam supponere; quam supponi diceretur; contra communem sumulistarum sensum, quos immerito Fonseca lib. 8. cap. 2. & Hurt disp. 2. sect. 1. barbarè inculant; sed potius actiuè, ita vt suppositio sit, qua terminus supponit vnum significatum pro alio, aut si maius, quæ se ponit pro vno significato potius, quam pro alio.

9 Obiicies tertio, suppositionem iuxta nos esse, quæ sit, vt vnum significatum, & non aliud ponatur in propositione, & vel subiiciatur, vel prædicetur beneficio copulæ; atqui fieri, vt vnum significatum, & non aliud ita ponatur in propositione velut subiectum, aut prædicatum non est poni vnum significatum pro alio, sed poni vnum, & non aliud, quæ sunt longè diuersa: malè ergo definiuimus, suppositionem esse positionem vnius significati pro alio. Respondeo, hoc argumentum solarum vocum litem nobis intartare, de quibus parum curandum, vbi de rebus constet: Quocirca, si voces quibus sumus vsi, displicent, dici potest, suppositionem esse positionem termini, pro vno significato, & non pro alio vi copulæ, id quod etiam supra monitum. Respondeo secundo, voces à nobis vsurpatis satis congruas esse; ac perinde esse, vnum significatum, & non aliud poni in propositione vi copulæ, ac vnum significatum poni pro alio, vi illius: quo loquendi modo vitur Martialis libro primo epigram. 1. in-quiens.

Omnia Casareo cedat labor amphitheatro,

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Id est vnum loquatur, & cætera sileat, ac non loquatur, aut deprædicet.

10 Obiicies quarto: hac in propositione, *Petrus est ens*, vel *est aliquid*; Petrus supponit: & tamen non ponitur vnum eius significatum pro alio: hoc est vnum eius significatum potius quam aliud non subit vicem subiecti; sed omnia sunt subiectum, cum prædicatum eius propositionis omnibus conueniat, quæ est eius vniuersalitas. Respondeo, in illo prædicato vniuersali latere plura particularia respectu quorum vnum significatum eius vocis, *Petrus*, potius quam aliud habet rationem subiecti: hoc autem satis est, vt Petrus supponat. Ex. gratia, cū dicitur, *Petrus est ens*, vocula, *ens*, continet substantiam, quæ non de voce, sed de re significata dicitur, & etiam accidens, quod de voce, & non de re enunciatur, nec non accidens spirituale, quod de conceptu, & non de re, aut voce affirmatur. Respondeo secundo, in ea propositione signi-